





1
1.
2
3.
4
5
6
7.
8
9



1696.

1. Albinus, Bernhardus : De pleuritis vesae.
2. Albinus, Bernhardus : De partu difficili.
3. Beermannus, Jo. Christoph : De bellis Domini.
- 4^o Coccejus, Henricus : De probatione feudali.
2 Script. 1696 : 1739.
- 5^o Coccejus, Henricus : De necessitate legati proficere.
- 6^o Coccejus, Henricus : De successione nepotum.
2 Script. 1694 : 1737.
7. Coccejus, Henricus : De jure ejus, quod facti est,
nondumque illius amittendi.
8. Schulze, Petrus : De venditione necessaria.
9. Strimesius, Samuel : Non domo agenda manu
ipsius voluntatem, citra peccatum in humilitatem
committam, intendere possit?

10. Willenberg, Samuel Tobiasius: De modestia
Advocati

Tractatus de Pleuriti
**PLEURITI
VERA.**

1744

Facult. Medic. Consensu
MAGISTRI ADRIANI
1744

BERNHARDO ALBINO,

Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris

PRO LICENTIA.

IN UNIVERSITATE MEDICA HONORIS
LICENTIAE DOCTORALIS
IN MEDICINA
MAG. PHIL. DR. JURIS. AC PATRIS. ACTORIS
MAG. PHIL. DR. JURIS. AC PATRIS. ACTORIS
MAG. PHIL. DR. JURIS. AC PATRIS. ACTORIS

ADRIANO HANSMATER,
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris
Mag. Phil. Dr. Juris. ac Patris. Actoris



Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a title or header.



F. 2. num. 33.

1696, 46 5/

2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

PROBATIONE FEVDALI

P. 323.

Uom Beweis in Sehn-Gachen

QVAM

PRAESIDE

HENRICO COCCEJO

ICTO REGIS BORVSSIAE ac ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSIL. INT. FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO, ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AC IMMVNITATES RITE OBTINENDI

PVBLICAE VENDILATIONI SVEMISIT

AVGVSTVS BERNHARD BRVNNER

HALL. MAGDEB.

FRANCOVRTI AD VIADRVN, AD D. XXVII. APRIL. M DC XCVI.

VVITTEBERGAE, RECUSA M DCC XXXIX.

TYPIS IOANNIS GVILIELMI BOSSOE





CAPVT I.
DE
PROBATIONE IN GENERE.
S V M M A R I A.

§. I.

Non ius, sed factum in iudicio probantum est, et quae olim apud Romanos fuerit ratio tractandi lites. 2. Aduocatus non minus quam iudex debet esse iurisperitus. 3. Materia probationum ac praesumptionum a Mascardo et Menochio alisque nondum est exhausta. 4. Transitus ad probationem Feudalem. 5. Idem fere est hodie modus probandi in feudibus, qui est de iure communi. 6. Quid. 7. Quotuplex sit probatio?

§. I.

In iudiciis non minus de facto, quam de iure eiusque probatione quaeritur, et de facto quidem longe operosissime, quin prope unice: Ius enim, siquidem genuinus eius usus nec corruptus sit, finitum certumque ac iudici notum est; ac facta ut infinita, ita incerta et inprimis probanda sunt. *l. 2. ff. de iur. et fact. ignorant.* In eo omnis litium labor ac difficultas uertitur, totaque iudiciorum ratio absoluitur, ut factum quod proponitur appareat ac probetur. Hinc summæ prudentiae utilitatisque insignis fuit mos ille maiorum apud Romanos magistratum, qui

quod facile erat sibi reseruabant, scilicet ut apud ipsos de iure saltem quaereretur, et, cum actor causam narrasset, Reusque respondisset, et Praetor quae e re uidebantur interrogasset, hic ius aliquod, quatenus Reus negauerat, definiret, indeque ea omnia et interrogationes in iure fieri dicebantur. At quod in facto illo negatum a Reo probandumque, atque adeo difficillimum molestissimumque erat, iudici pedaneo expediendum delegabant, ut coram eo facti negati probationes exigerentur. Hinc formula illa vetus: **SI APPARET DARE FACERE OPORTERE**, (seu quod idem, si probabitur factum quod actor proposuit, Reus negauit) **CONDEMNA IVDEX**.

§. II.

In facto itaque omne et tuendae et decidendae causae opus artificiumque positum, idque summum est; Cum enim secundum eaque proponuntur, seu ex facti specie ius dicatur, omnis rotaque iuris peritia requiritur, ut probe intelligat discernatque Patronus, quae facti circumstantiae momentum ad uictoriam causamque afferant, quae eam destruant; ne perperam uel positae uel omissae tum sibi noceant, tum prosint aduersario, ut adeo in patrono causae, si non maior, certe nec minor quam in iudice ipso iuris peritia necessaria sit, etsi nil nisi factum, non ius proposuerit.

§. III.

Facti itaque de quo acturi nunc sumus, probatio, prout e naturae iuribus deriuatur, facile percipitur, et in iure Romano quoque paucis regulis absoluitur. At uero, ex quo spreis iuris principiis, non quibuscunque sed solidis, indices Doctorumque scrinia compilandi studium inuasit Iurisprudentiam, quam in infinitum excreuit haec sola materia? Quae moles, quantum opus probationum, quod Mascardus; et praesumptio, quod Menochius et alii, doctissimi equidem

dem Icti, collegerunt? Et tamen (pace tantorum uirorum dicere licebit quod res est quodque quotidie experientia probat) quantumcunque est, quod summa diligentia conscriptum tractarumque apud eos inuenitur, tantum abest, ut exhaustae ab iis sint hae materiae, ut si scripta haec cum iis quae adhuc omissa et infinita sunt, comparentur, parum scripserit dicendi sint: cum constet facta haec casusque quos colligunt, in infinitum variare.

§. IV.

Nostri nunc instituti non est id aggredi, sed particulam saltem Feudis propriam inde delibare, et loco discursus inauguralis uberius exponere; nec id tamen nisi pro Disputationis et temporis modulo.

§. V.

Satis uero perspectum omnibus est, quicquid iure Feudali decusum non est, id ex iure communi definiendum esse; quod tum ipse Feudista docet *2. F. 1. in fin. princ.* tum alias uulgatum tricumque est ex *l. 27. Cod. de Testam. et l. 23. §. fin. Cod. de Appell.* Id uero potissimum accidit in nostra quoque materia, cum usu praesertim hodierno idem sit modus probandi iure communi ac Feudali, nisi specialiter mutatum quid fuerit.

§. VI.

Ex iure itaque communi hauriendum quoque est, quid et quoruplex probatio sit. Probare scilicet et iudicii fidem ueri facere *Clem. 4. de Elect. l. 13. C. ad Sc. Vellej.* Neque tamen id agit ut iudicii saltem, sed ut omnibus ueritas constet; uerum an tale sit, iudex cognoscit; et hoc sensu iudici probatio fieri dicitur. *l. 12. in fin. ff. de probat.*

§. VII.

Fit itaque probatio per argumenta uel certa uel probabilia, illa probatio, haec praesumptio dicitur *rubric. ff. de probat.*

et *praesumpt.* Argumenta distinguunt in naturalia, ut sunt testes, instrumenta, partis confessio; et artificialia, cum ex alio probato aliud arte ratiocinandi infertur. Imperfecta probatio uim probationis non habet, sed praesumptionis: Vfu tamen semiplena quoque probatio inducta et ordin. crim. confirmata est, ut iureiur. partis suppleri possit et ad torturam sufficiat. *d. Ordin. Crimin. artic. 23. et 30.* Contra, praesumptiones quoque quaedam uim semiplenae probationis habent, quaedam et plenae. *l. 19. Cod. de R. F.*

CAPVT II.

DE

PROBATIONE PER PVGNAM.

S V M M A R I A.

§. I.

Approbatus hic modus probandi fuit per constitutiones Imperatorias. 2. Dicitur est Dei iudicium. 3. Referuntur scellennia pugnae et cur dicatur Campus? 4. Fuit quasi Remedium ordinarium, dictumque, das Faust-Necht / Kampf- oder Kolben-Gericht. 5. Poterat quoque per alium suscipi. 6. Unde originem traxerit? 7. Damnatum est Iure Can. et Legibus Imperii. 8. Non fuit iudicium Dei, sed tentatio. 9. et 10. Remouetur ratio Speculi Sueuici pro duello. 11. Neque iuris est neque Fortitudinis seu uirtutis.

§. I.

Haec igitur aliaque quae iuris communis sunt, mittimus et ad modos iuris feudalis properantes, primum de probatione feudali per pugnam seu duellum agemus. Nam haec plus quam ferina et ab omni humanitate, nedum a Christianis moribus ab horrens probandi iuris ratio

ratio adeo apud maiores nostros inualuerat, ut nec ad uitae cultum et mansuetudinem traducti, nec ad Christiana sacra conuersi abolere et exuere nefandum hunc morem potuerint, adeo ut ipse Fridericus I. Imper. Maximus et Christianissimus, in 2. F. 27. constituerit, occisorem capite puniri, nisi per duellum probare possit, quod uitam suam defendendo illum occidit. Et Henricus II (ut quidem dicitur, nisi pro secundus legendum sextus modica mutatione) in libr. 5. F. const. 2. ut feloniam ab aliquo Parium postulatus per pugnam se defendat edicit.

§. II.

Et adeo quidem fascinati sunt huius moris studio, accedente quoque superstitione, ut hunc modum Dei iudicium perpetuo fere dixerint, ita enim in Legibus Baju. tit. 2 cap. 1. §. 2. Si unus fuerit testis et alter negauerit, tunc DEI accipiant iudicium: exeant in campo, et cui Deus dederit uictoriam, illi credatur. Gemina sunt tit. 11. cap. 5. in fin. Tunc spondeant inuicem uehadinc, quod dicimus, et in campiones non fortiantur, sed cui Deus dederit fortiam et uictoriam, ad ipsius partem designata pars ut quaeritur pertineat. Quin tit. 16. cap. 1. §. 2. haec formula scribitur laeso: Sponte mihi pugnam duorum et manifestet Deus etc. Et tit. 17. cap. 2. Respondeat: pugna duorum et ad Dei pertineat iudicium. Hinc duplex fecere probationis iudicium; humanum per testes, Diuinum per duellum. Cuiac. lib. 5. F. const. 9. Ita notabilia et in speciem pia quoque uidentur quae dicuntur in Spec. Sued. lib. 1. cap. 167. §. 2. Das ist davon / daß es nyeman gesehen hat / davon muß man das Gericht an Gott lassen / davon ist Kampff gesetzt / wann was die Leute nicht sehend / das weiß doch Gott der Allmächtige wol: Davon sollen wir Gott getruwen / daß Er den Kampff nun nach Recht schende.

§. III.

§. III.
 Neque perfunctorie res acta, sed plurimae et accuratae in id leges factae, prolixi scrupulosique ritus additi, formulae constitutae, sacra quoque adhibita, precēsque pro uictoria iusti, pugna in iudicio petita et praesenti populo publice solennissimeque inita, atque a campo ubi fiebat, pugna haec campus, pugnator campio uel camphio dicebatur, unde uoces *Kämpff / Kämpffer / uel Kamp / Kämpfer /* a Campo uoce Romana ductae, non Germanicae uidentur: quemadmodum iniustissimum hoc ius prolixè descriptum definitumque est in iure Ssev. *Schwaben-Spiegel lib. 1. cap. 170. et seq. usque ad cap. 176.* Item in Legib. *Bajuvar. tit. 2. cap. 1. §. 2. tit. 11. cap. 5. et 6. tit. 12. cap. 8. et cap. 9. §. 2. tit. 16. cap. 1. §. 2. cap. 23. et ult.* Et ita in legibus antiquis Anglorum, Saxonum, Longobardorum et Salicis passim. Add. *Lindebrog. Gloss. uoc. Campus, campio, Dei iudicium*, ubi allegat legem Canuri, *dat he ga to Godes ordale*; ut ad Dei iudicium remittatur.

§. IV.
 Fuit itaque quasi remedium iuris ordinarium pugna duorum, unde jemand *kämpffl. ansprechen*; *Spec. Ssev. lib. 1. cap. 175.* et in singulis fere iudiciis Provincialibus, peculiaris duellorum statuta ac privilegia fuere, dictumque das *Faust-Recht / Kämpff / ober Kolben-Gericht*; uel adhuc prolixè excrat, *Ordnung des Kämpffs- ober Kolben-Gerichts des Burggraffthums zu Nürnberg / apud Goldast. Reichs-Satzungen part. 2. fol. 85. ad ann. 1410.* ubi libello actoris inserta formula: *Laugen er ihne aber des / so wolle er ihne das beweisen mit seinem Kolben auf seinem Kopff nach Kämpffs-Recht. Art. Ord. §. 4.* citatusque fuit Reus ad pugnam, *kämpfflich Fürbeth /* et si ter citatus non compareret, uel contemnatus fuit in die *Kämpff-Recht /* uel actor pro

pro uictore declaratus, uti alias in causa contumaciae. *d. Ordin. §. 19. et seqq.*

§. V.

Nec tantum pars ipsa pugnare poterat, sed et alium quandoque pro se Championem seu pugnatorem dare, quod interdum necessarium fuit, uti si quis claudus, atque ad pugnam inhabilis, *Spec. Svec. dict. lib. 1. cap. 174.* uel alteri cognatus (cognatorum enim impediabantur conflictus. *Spec. Svec. d. l. c. 170.*) uel conditione impari, *kein Kampffs: Genoss/* effect. *Spec. Svec. d. l. cap. 51.* Aderant quoque qui pugnae adfiterent, eamque regerent, *Warner / Lusner / Griefswertel /* et quidem iuramento solenni adstricti *d. Ordin. §. 59. et pass. Specul. Svec. d. d. l. l.* Tanta erat impii huius remedii cura, fiducia ac religio.

§. VI.

Quod si cui mirum uideatur, populum et uera fortitudine et animi integritate tam insignem et apud ipsos quoque Romanos illustrem, adeo infando huic mori indulgisse, memoria repetat deplorandam istam temporum infelicitatem et miserrimam hominum conditionem, cum excepta Asia, iustissima Numinis ira, in orbem terrarum sparsi, ferarum more palantes, Dei iustitiaeque ignari ac rudes, belluinis magis quam humanis ritibus uiuerent, et ui ac caedibus in se iuuicem grassarentur, ut graphice rem depingunt *Cic. Rbetor. lib. 1. circ. princip. item Orat. pro P. Sext. post. med. Horat. de art. Poet. prope fin.* quae lues ut in primis Europam, ipsamque ante Herculeae tempora Graeciam, diutiusque Italiam peruaserit, longissime uero in Septentrionalibus ac Scytharum (in quibus et aliis terrarum partibus extremis hodieque ea hominum feritas et belluina uiuendi ratio durat) populis steterit, exposuit *Magnif. Dn. Praefes in Orat. de Orig. iur. Europ.* Haec igitur causa est, ut quae

B

adeo

adeo infederat atque inueterauerat in harum gentium animis, ut ferina agendi consuetudinem ac pestem, nec polioris deinde uitae cultus ac humanitas expugnare, nec ipsa mitissima Christianismi doctrina eluere primum potuerit: quin tantum abest ut ad Christianam fidem conuersio errorem hunc correxerit, ut potius temporum istorum superstitio, in quam abierat prope Christiana religio, et solidiorum literarum penuria inducta barbaries, fucatae fortitudinis specie et intempestiuo Diuinae Prouidentiae praetextu firmauerit.

§. VII.

Primum itaque Canones malo huic (quod semper abominati sunt *c. 22. caus. 2. qu. 5.*) remedium attulere, et improbata penitus atque ad uulgares illicitasque purgationes (quales sunt ferri candentis, aquae feruentis uel frigidae etc. *c. 7. c. 20. caus. 2. qu. 20.*) reiecta sunt duella in *cap. 1. cap. 2. X. de purg. uulg.* ubi casus fuit, quo furti postulatus in pugna occubuit et postea tamen innocens ac res furtiua apud alios inuenta fuit. Sed maiori ui opus fuit, ad expellendum hoc malum, quod adeo ad superstitionem usque inualuerat: et Imperatores optimi, cum autoritas ipsorum monstro huic subigendo non sufficeret, foedere cum praecipuis Statibus iniro sensim aggressi illud sunt, eamque in rem inter alia famosissimum illud foedus Suevicum Schwabenbund An. 1487. initio in octo, deinde in tres annos compositum, et saepe deinde renouatum fuit. *Sleid. de Stat. Relig. lib. 4. in fin.* ut adeo sensim efferati hi mores affuissent humanitati ac iustitiae: atque ita tandem a Maximiliano I. An. 1495. pax publica der Königlische Landfried omnium consensu in comitiis Imperii sancita, atque ad eam inprimis tuendam iudicium Imperiale Camerae una institutum, mox et Regimentum Imperii paci rebusque Imperii exequendis erectum

erectum fuerit. Vid. *Recess. Imper. de Anno 1495. 1500. et seqq.*

§. VIII.

Agnitum tunc demum fuit, non esse hoc DEI iudicium, sed DEI tentationem, ut dicitur *d. c. fin. X. de purg. uulg. et d. c. 7. caus. 2. qu. 5.* et uera homicidia publice probata, adeoque et sanguinem hunc publice luendum: cum nec ullo indicio appareret, Deum pugnae euentu decisurum lites hominum, et euentus saepe falleret, innocentesque cadrent, ut in *d. c. 2. de purg. uulg.*

§. IX.

Erfane uanum friolumque est, quod tam speciose affert *Spec. Sreb. d. cap. 167. §. 2.* et allegatum est *supra tbes. 2. delicta occulta cum per homines apparere non possint, ideo Dei iudicio comittenda esse.* Nam hoc plane concedimus committi ea debere Dei iudicio: sed an Dei iudicium sit pugna talis priuata ac homicidium; et num Deus hoc iudicio, quia alterum quis pugna occidit, eius causam iustiorum haberi uelit, id uero quaeritur, et asseri impium est. Quod si alea euentuque dubio iudicium Dei explorandum est, cur magis pugnae, qua uita hominis in discrimen mittitur, quam talorum et tesserarum alea? Per hanc enim et minori periculo, et absque homicidii nota de causa et iure statueretur; essetque in alea utriusque partium aequa fors et conditio, cum pugnae euentus a uiribus corporis peritiaque pugnantibus magis dependeat.

§. X.

Longe aliter uero lex naturae se habet, quam et ius Romanum sequitur; sc. ut nemo damnati possit nisi criminis manifestus; nec iudex plectere nisi ei appareat probatum.

batumque crimen fit. Si itaque Reus conuictus plene non sit, iudicis humani partes sunt absoluere Reum, satiusque est fontem quoque absoluere, quam infontem damnare. Lege ergo Romana et naturali uere demum res committitur Dei iudicio, cum iubetur cessare humanum. Concessit rerum Arbitrator humanae potestati iudicia, sed intra humanum modum; ut iudicent quod sciunt, non quod nesciunt; Excedunt itaque fines humani iudicii, et inuolant in ius Dei, qui de occultis et non apparentibus iudicium sibi arrogant. Nam et qui scelestissimum latronem absouit non probato crimine, non modo securus est, sed nec aliter securus.

§. XI.

Sed et imprimis negandum est, in tali pugna speciem fortitudinis ullam esse; et ferociam istam, quam talis puginator prae se fert, nihil minus quam fortitudinem, nihilque magis a uirtute remotum esse. Hoc penitus apparebit, si consideremus, uirtutes et uitia saepe materia ipsa prorsus conuenire, et summis uirtutibus simile esse, quod summum flagitium est, et tale manet: Ira nihil gloriosius est ea constantia animi, qua foemina quoque; *Ligus*, cum filium prodere per cruciatus cogenda esset *latere*, dixit *nec ullis tortoribus aut morte constantiam uocis egregiae mutauit*, ut ait *Tacit. lib. 2. Hist. cap. 13.* et qua gloriosissimi Martyres orthodoxi per ultima tormenta pro ueritate mortem pertulere: at eadem constantia saepe est perditissimorum hominum, qui in summis flagitiis saepe animum corpusque in tormenta durant. *l. 18. §. 1. ff. de Quaestion.* Sic magna gloria et heroum fuit, depugnasse cum bestiis; et idem summa et enormior infamia, si opera ad id locata quis depugnaret. *l. 1. §. 6. ff. de post.* Sic laudibus merito in coelum

coelum tolluntur Decii, aliique qui pro patria in pericula mortemque ultro ruerunt; at idemne faciunt fures et latrones nequissimi, qui pari quin maiori audacia in pericula ruunt? et sic in aliis innumeris. Verum haec utut similia sint, at plurimum interest: alterum a virtute et animi magnitudine est; alterum a vitio, durata animi malitia, et uilitate: unde illud in mediis periculis ac malis coniunctum est cum animi tranquillitate, quin gaudio quoque et laetitia, quam et facti pulchritudo, et conscientia recti, et praemii fiducia ac gloria conciliant; hoc contra cum torminibus animi intimorumque sensuum: omni enim felicitatis spe rectique conscientia destituti, sentiunt (nec possunt non sentire) inter pericula tortores suos, metum, euentus sinistri sollicitudinem, indeque angores, curas, quae animum coquunt atque conturbant: et quicquid dissimulent, aut si trepitare non uideantur, non ea mentis alacritas est, animusque pacatus, compositus, contentusque, sed perturbatus, uel desperatione malitiaque duratus, indeque torpor ac stupor; in quo tamen omni trepidatione acrior mali sensus est: denique alterum egregium, praeclarissimum, et heroicae fortitudinis; alterum uilissimum, infamissimum, et Praedonum commune est. Atque hoc idem interest inter eum qui interritus pro patria iure pugnat, et eum qui duello priuato: illud fortium uirorum, hoc furum gladiatorumque audacia est. Sed haec, etsi prolixius forte quam par est, ideo tradidimus, ut constet, quam hic modus adeo olim laudatus, indignus sit uiris generosis, quam remotus a uera magnitudine animi, et quam non Dei iudicium.

CAPVT III.
DE
PROBATIONE PER INSTRUMENTA.

S V M M A R I A.

§. I.

Vocatur instrumentum uulgo breue testatum; Breue quid sit?
2. Vnde deriuetur? 3. Cur dicatur testatum? 4. Debet esse
rite seu testato confectum. 5. Quales adhibendi sint testes?
6. Explicatur text. in 2. F. 32. 7. Conciliatur cum text. in 2. F. 2.
8. Hodienum necessarium est, ut breue testatum subscribatur
a paribus Curiae? 9. Except. si Dominus subscripserit, uel sigillo
publico signauerit. 10. Quando plures sunt Domini, Senioris
plerumque apponitur sigillum. 11. Qu. an scriptura ad perfe-
ctionem inuestiturae requiratur? 12. Dominus uasallo instru-
mentum inuestiturae, et hic illi antapocham denegare non potest.
13. Quando plura de eodem feudo inuestiturarum extant in-
strumenta antiquioribus credendum est.

§. I.

Proscriptio igitur pulsoque procul a sacris Iustitiae feudo-
rumque aditis infami hoc probandi modo, altera se-
quitur probationis feudalis species per instrumentum.
Hoc uulgo uocatur *Breue testatum*, ut 1. F. 2. §. 1. et 1. F. 3. et 4.
in pr. 2. F. 32. 88. Breues enim et Breuia, utroque genere,
idem sunt quod literae seu tabulae, Graecis *πίττακια*, id est
tabellae; quemadmodum eas interpretatur Ael. Lamprid.
in Alex. Sev. cap. 21. Milites suos sic ubique sciuit, ut in cubiculo
haberet breues, et numerum et tempora militantium, etc. Et
mox id ita exponit, *perlegebat cuncta pittacia*. Vopisco etiam
familiarior uox fuit, ut in Aurelian. cap. 36. Breue nominum
conscriptis. Et mox: *Breue legit singulis quorum nomina con-*
tinebat. Item in Bonos. in fin. *Dabis ei iuxta breue infra*
scriptum

scriptum etc. Nec infrequens in Codice, ut in *l. fin. §. 1. in fin. C. de appell.* ubi prohibetur apostolorum prolixitas, et additur: *sufficiant gestorum uolumina introducta, et uirorum spectabilium breues omnia apertissime ostendere.* Eodem sensu est in *l. fin. uers. quod si semel. Cod. de fid. instr. ibi in argentariorum aliisque breuib.* Item in *l. 1. Cod. de apoch. publ. ibi hoc obseruando, ut in quadrimestribus quoque breuib.* qui ad Exc. tuae officium diriguntur, *celebratae descriptionis disunctio societur.* Et in *l. 1. C. de Exact. trib. ibi: qui a tabulario ciuitatis breues accipiant debitorum. l. fin. §. f. Cod. de offic. Mag. off. ibi: quadrimestribus breues scolarium conscribi uolumus. l. fin. C. de conu. fisc. debit. ibi inter chartulas breuis quidam adseueratur inuentus, qui nomina continebat debitorum.* Et mox: *ea quae breui inserta sunt.* Hinc eodem sensu breuiculum, in *rubr. C. Theod. de sent. ex breuic. recit. pro quo deinde latinus substitutum, periculum. rubr. C. de sentent. ex peric. recit.* Atque ita Breue Apostolicum dicimus, et in Feudis Breue testatum.

§. II.

Apparet itaque nomina haec sequiore aeuo in ciuitatem Romanam recepta, puriore uero incognita, hoc eodem sensu, fuisse. Quin suspecta illa omnino uidentur, et uix credibile, quod uox breuis, ut uolunt, dicta fuerit, quasi breuis libellus. Itaque tentari prope posset, breues esse uocem Germanicam, scil. *breeue* / cum et alias nomina exotica et barbara in usibus feudorum a Gothis et Longobardis, id est, Germanis ceu feudorum autoribus, tractae sint. Sed et iam dudum durauerat inter Germanos Romanosque commercium, et proinde cum Germani, in primis uetustiores, quaecunque scripto fierent, *Breeue* / uel *Brieffe* dicerent, omniaque inter utrumque populum literis fere agi necesse esset, facile usus frequentia eam Roma-

Romanis quoque familiarem reddidit. Nec alienus inde uidetur fuisse Cujacius, qui *lib. 5. F. const. 9.* ait, legem Fridericici de Pac. tenend. a Germanis teste *Vrsperg. ad ann. 1187. fol. 230. dictam fuisse Friede-Brieff/ Breue pacis.* Sed et extat uox hoc sensu in Legib. antiquis Germanicis, uti in *LL. VVisigoth. lib. 5. tit. 5. cap. 3. ibi: Breuem det ille qui susceperat Capitular. lib. 3. tit. 82. ibi: Beneficia describantur in breue, et lib. 4. append. 2. t. 9. ibi: Breues detulerunt de adnunciatione etc.* Res uero eodem recidit.

§. III.

Est igitur Breue testatum, tabula seu instrumentum testandi causa confectum; testatum enim dicitur, quod coram testibus fit, seu ubicunque testes interueniunt; ut testato facere, dicere. *l. 4. C. de distr. pign.* unde testamenta, quia coram testibus fiunt, et testari etc. Ira res testata *Cic. 4. Verr. ut res omnium maxime clara testataque esset.* Sic ergo et Breue testatum ea aetate erat instrumentum coram testibus confectum uel a testibus conscriptum: idemque uocatur *Instrumentum publicum. in 2. F. 2. et 25.*

§. IV.

Non igitur quoduis breue probat, sed rite et testato confectum; Vnde quaerunt, an breui testato necessario testes adhibendi sint? Quod affirm. regulariter, cum allegatio partis scripta non magis quam asserta probet sine testibus idoneis: probaturque per text. in *2. F. 2. 25. et 32.* nam etsi a Notario fiat, is quoque testes rogatos adhibet, ut bene *Vulrej. de feud. lib. 1. cap. 7. n. 42.* At uero si dominus ipse breui testato confessus fuerit, inuestituram u. gr. fecisse, non uidetur aliis testibus opus esse, de quo in seqq. Id tamen usu fere obrinet, ut nomina eorum, qui actui solenni interfuerunt, ipsi instrumento inserantur; nam
legi

legi in literis inuestiturae ab Augusto, ultimo Administra-
tore Magdeburgensi piiss. mem. datis circa fin. hanc formu-
lam: Hierbey und über sind gewesen zu Gezeugen die
Ehrenvesten und Hochgelahrten unsere Rätche und liebe
Getreue Gebhard von Alvensleben / zu neuen G. Christian
Willhelm von Bartenleben zu W. und Er Jacob von
Unruhe / beyder Rechts Doctor, des zu Urkunde etc.
Atque hoc etiamnum sub Regimine Sereniss. ac Potentiss.
Electoris Brandenburgici in curia Feudali Magdeburgensi
Halae constituta ita obseruatur.

§. V.

Verum an requiratur, ut testes sint pares Curiae, an
etiam sufficiant extranei, magis iam inter Feudorum auto-
res disceptatum fuit. Equidem vera ratione feudali, non
nisi pares curiae testes esse posse uerius est; tum quia breue
testatum in V sibus feudorum instrumentum publicum dicitur.
2. F. 2. et 32. quale non est quod a testibus priuatis tantum
subscriptum est, sed quod ab ipsis curiae feudalis membris,
i. e. a Paribus Curiae; uti alias instrumentum publicum,
quod autoritate Magistratus uel iudiciali fit, a iudicio eiusue
membris firmatur: et cum inuestitura, aliique actus feuda-
les in Curia feudali fiant, uti actus iudiciales in Iudicio, non
minus illi expediri aut subscribi solent a membris seu paribus
curiae; quam hi a membris iudicii, quod et clarae probatur
ex 2. F. 2. uers. si enim etc. idque extensum fuit, etsi inue-
stitura ipsa coram paribus non esset facta, et dominus fatere-
tur esse factam. 2. F. 23. princ. ubi in eo alii dicuntur dissen-
sisse, quod fatente inuestituram Domino non opus sit Pa-
ribus.

C

§. VI.

§. VI.

Vt ergo huius textus appareat sententia, notandum, duas ibi quaestiones coniungi; alteram, an inuestitura sine paribus curiae fieri possit; alteram, an breue testatum? De prima quaestione statuerunt Feudistae, non ualere inuestituram, sine Paribus Curiae factam, etsi possit probari per breue testatum. *d. r. 32. pr.* quod proinde non fuit firmatum a Paribus Curiae, qui nulli interfuere inuestiturae, sed sola subscriptione domini. Hoc uero alii negarunt, et uoluerunt, dominum fatentem inuestituram, et ad solennia haec tantum confugientem non esse audiendum. Haecenus igitur in *d. tit. 32. pr.* lis saltem fuit, an inuestitura sine paribus facta ualeat Domino per breue testatum eam fatente; quod Gerhardus et Obertus negarunt; alii affirmarunt *d. pr.* Mediolanenses uero praeterea statuerunt, etiam negante Domino sufficere probari inuestituram breui testato ab extraneis testibus subscripto. *d. tit. 32. uers. Consules.*

§. VII.

Nulla itaque pugna est inter textus in *2. F. 2. et 32.* neque Obertus a se diffidet, nam in *d. tit. 2.* dicitur, in breui testato requiri Pares Curiae, ut in inuestitura: sed in *d. tit. 32.* Gerhardus et Obertus cum aliis aliud tum statuunt, cum Dominus breui testato fatetur inuestituram; adeoque casum illum excipiunt: denique subiicitur usus Mediolanensium peculiaris, qui pares Curiae plane non requirunt.

§. VIII.

Hinc solidius definiri potest quid usu obtineat. Nam, quod hodie probetur inuestitura per breue testatum, etsi non subscriptum a Paribus, asseri tuto non potest, etsi id uelit Vultej. *d. l. 1. cap. 7. num. 42. uers. sed haec quaestio, ubi nimis sane generaliter ait; bodie perinde esse, utrum testes adhibean-*

bibeantur, nec ne; atque si adhibentur, perinde esse, utrum sint pares an extranei. Nam ita quisque uasallum priuatam scripturam duobus testibus priuatis subscriptam producens semper probare posset inuestituram contra dominum negantem, quod nec iure obtinet, nec usu; manet enim scriptura priuata, nec creditur testibus priuatis, nisi iuratis et rite deponentibus, ad creditur breui, quod a Paribus ceu membris Curiae subscriptum, adeoque instrumentum publicum est. Dicendum igitur est, requiri regulariter hodieque, ut uel subscriptum sit a membris seu Paribus Curiae, uel Dominus breui testato fateatur inuestituram: uti si ipsius sigillo publico id munitum fuerit. Quod uero, etsi Dominus neget, probari inuestitura per testes extraneos possit, speciali usu Mediolanensium tantum introductum est, quod proinde alibi non obtinet.

§. IX.

Atque id firmatur hoc ipso, quod Vultej. *d. l.* porro tradit; hodie sufficere, literas inuestiturae subscribi et signari ab ipso Domino sigillo ipsius publico; Nam hoc non usu nouiter introductum, sed ipso iure feudali, quin communi constitutum est: id enim est, quod in *d. tit. 32.* asseritur, probari satis inuestituram, si Dominus ipse breui testato eam fateatur uel subscriptione uel sigillo publico. Et iure communi sigillum publicum sufficere, idque usu receptum esse probat Brunnem. in *l. u. num. 9. Cod. qui pot. in pign.* nec ita pridem Inclyta Facultas Iuridica huius loci idem respondit. Verum, ex hoc ipso quoque patet, id tantum obtinere de dominis qui iurisdictionem publicam exercent, priuati enim nec sigilla nec fidem publicam habent, sed subscriptione eorum opus est.

§. X.

Quod si plures sunt Domini, Senioris plerumque sigillo firmari solent, ut docet Vultej. *d. n. 42. uers. quoniam*, et recte ait, *plerumque scil. Wann der Aelteste des Stammes die Lehnische Hand hat und trägt: hoc enim si non appareat pacto uel usu aut inuestitura cautum esse, et omnes praesint territorio, omnium potius sigilla apponi solent. 2. F. 99. quod et usus docet.*

§. XI.

Denique quaeritur, an breue testatum seu scriptura necessario requiratur ad perfectionem, uel solennitatem inuestiturae? Quod negandum est, sed tantum ad probationem, et ne ad eam quidem necessario; cum illa etiam sine scriptura et breui testato probari possit, scil. per Pares Curiae; *1. F. 2. 3. 4. item 2. F. 2. 32. 88. etc.* Consultum tamen est, ut de inuestitura fiat scriptura, in qua omnia, quae inter Domium et uasallum acta sunt, et in specie res feudales exprimantur, earumque fines designentur, monente Vultej. *d. n. 42. uers. Quoniam autem etc.*

§. XII.

Et si uero scriptura ad inuestiturae solennia non pertineat, quin nec ad probationem simpliciter necessaria sit, quoniam tamen feudi ius perpetuum est, cuius tandem absque instrumento deficeret probatio, hinc potest inuestitus suo iure instrumentum inuestiturae a Domino petere, nec Dominus id denegare: *per l. 26. Cod. de lib. caus. l. 1. C. de iur. Emphyt. quod usu receptum esse testantur Wesenbec. de feud. cap. 8. n. 13. Rosenth. de Feud. c. 6. concl. 67. lit. A. Vultej. d. n. 42. Solumque moribus hodiernis inuestitus uicissim antepocham Domino dare; Rosenth. et Vultej. d. l. qua scil. profitetur, se Domino promississe fidelitatem, eique teneri ad seruitia.*

seruitia. Idem iuris est in singulis feudorum renouationibus, quae Germanis dicuntur *Muthungen* / et instrumenta in ea re facta, *Muthzettul*. Sunt uero instrumenta inuestiturae stricti iuris: *VVesemb. de Feud. c. 8. in fin.* et legem feudis dant, quae inde in primis definienda sunt. *Christin. Vol. 6. Dec. 86.*

§. XIII.

Hinc sciendum quoque est illud, si plures de eodem feudo extant inuestiturae inter se discrepantes, primam semper esse spectandam, quia in posterioribus censetur error commissus et continuatus, nisi inter Dominum et uasallum expresse hoc actum esse, ut per posteriores a priori recedatur, appareat, *Vultej. d. c. 7. n. fin.* B. Dn. *Struv. S. I. F. c. 1. tb. u. num. 3.* Quod tamen aliis in inuestitura prima uocatis praerudicare nequit. *Vultej. d. l.* Ut uero omnes hac de re eurentur lites optime constitutum est a Sereniss. et Potentiss. Elect. Brandenburg. in *Ordinat. Prouinc. Magdoburg.* ut inuestiendus semper priorum inuestiturarum literas secum afferat, quo eadem cum Registraturis Cancellariae conferri queant. Verba *d. Ordin. c. 8.* von denen Mann-Lehn-Güthern / §. 6. haec sunt: Wann nun bey Uns umb Beleihung Ansuchung geschiehet / so sollen die / so die Lehn empfaben wollen / ihren vorigen versiegelten Lehnbrieff oder Lehnsschein in unsere Magdeburgische Canselen mit sich bringen / Worauff Wir Uns alsdenn / wann die vorigen Lehn-Brieffe oder Lehn-Scheine mit denen Lehn-Registraturen collationiret / und denselben gleichlautend befunden worden / mit der Beleihung gnädigl. erzeigen &c. Ex eadem causa si plures de familia uno instrumento ab initio sunt comprehensi, non debent deinde singulis de suis partibus peculiaria breuia dari, nisi ad mandatum a Serenissimo imperratum, de quo in *d. c. 8. §. 7.* sequentia leguntur: Da auch ein Geschlecht hieher vor ihre

Lehn-Brieffe ingesambt gehabt / sollen in unserer Sanktz
 ley hinfort / zu Verhütung allerley Weitläufftigkeit und
 Neuerung / keine besondere Lehn-Brieffe gemacht / son-
 dern allemahl die gesambten Lehn-Brieffe / wie vor Alters /
 darinnen doch ihre Theilung specificiret seyn soll / ausgefer-
 tigt werden; Wolte sich aber das beliehene Geschlecht / aus
 erheblichen Ursachen / und zwar mit unsern gnädigsten
 Consens, hiernächst vereinbahren / das jeder über seine
 Lehnstücken einen besondern Lehn-Brieff in Zukunfft neh-
 men möge / sollen dieselben auf unsern Befehl / bey der
 Sanktley außgefertigt werden.

CAPVT IV.
 DE
 PROBATIONE FEVDALI PER
 TESTES. ET IUSIVRANDVM.
 S V M M A R I A.

§. I.

In testibus quoad probationem feudalem quatenam sint singula-
 ria? 2. Debent esse Pares Curiae; conciliatur simul text. in 1.
 F. 25. pr. cum text. 2. F. 33. pr. 3. Recensentur uariae exceptiones.
 4. Et hodie plerisque in locis Pares amplius necessarii non sunt.
 5. In probanda feloniam iure feudali quinque requiruntur testes.
 6. Sed usu hodierno duos extraneos sufficere tradunt Dd. 7.
 Iusiurandum suppletorium tamen non admittitur, nec prae-
 sumptiones nisi urgentissimae. 8. Aliae autem probationes
 legitimae non excluduntur. 9. et 10. In praestatione iurisiuran-
 di debent adhiberi coniuratores; et unde hoc fluxerit? 11. Iurant
 illi de sua tantum opinione. 12. Agitur de delatione iuramenti
 iudicialis.

§. I.

§. I.

Duo praeterea sunt probationum genera, in quibus ius Feudale a Communi notabiliter deflectit: testes et iusiurandum. In testibus imprimis duo iterum singularia sunt; Qualitas et Numerus Ratione Qualitatis idonei tantum testes sunt Pares Curiae, siue quaeratur de Inuestitura et acquisitione Feudorum, siue de eorum amissione et deuestiando (ut dicitur *in 1. F. 7.*) Vasallo propter feloniam.

§. II.

Ad Inuestiturae non probationem tantum, sed et solennitatem requiruntur Pares Curiae, nam et testes ad eam probandam idonei non sunt, nisi pares. *1. Feud. 10. 11. et 26. princ. et §. 1. item 2. F. 2. princ. et 2. F. 32. Christin. Vol. 6. Dec. 85. n. 15. et seqq.* et actum illum Dominus exercet in Curia sua feudali, adeoque Paribus, duobus saltem, praesentibus. *d. 2. F. 2. 2. F. 58. §. quod autem Pares.* Atque hinc conciliantur duo pugnantestextus, in *1. F. 25. princ. et 2. F. 33. pr.* quibus agitur quaestio: An pro inuestitura habendum, si Dominus iusserit aliquem ire in possessionem feudi? Nam si coram Paribus Curiae id actum, ualet. *d. tit. 33. alias non ualet. d. tit. 25.* etsi possessionem nactus uoluntate Domini, expelli, dum uiuit, inde non possit. *d. l.* Neque id tantum uerum de inuestitura noua, sed et ueteri *dd. 11. Diff. Christin. d. Dec. 85. n. 22. Rosenth. de Feud. cap. 12. concl. 18.* et alii decepti textu in *2. F. 32. in fin.* qui agit de speciali usu Mediolanensium, Quin non tantum si lis sit inter Dominum et uasallum, sed et inter duos uasallos; cum inuestitura, quae nulla est, non possit obesse alteri. *Dd. comm. Diff. Rosenth. d. cap. 12. Concl. 16. n. 21.* ubi tamen *n. 22.* fatetur huic solennitati partes renunciare non posse.

§. III.

§. III.

Caeterum hoc ita, si Dominus habeat Pares Curiae: Si enim uel alii Vafalli eiusdem Curiae non sint, uel sint absentes (qui tamen citandi, et, si spes sit uenturos, expectandi sunt, 2. F. 33. uers. Quod autem. termino arbitrario. Rosenth. de Concl. 16. in f.) nihilominus inuestitura ualet, adeoque et tum probari quoque sine Paribus Curiae poterit, 1. F. 26. princ. 2. F. 2. pr. et §. 1. Quod et tum fieri potest, cum Pares iurare nolunt, d. 2. F. 2. in fin. pr. nec Dominus eos compellit. Rosenth. d. c. 12. Concl. 17. n. 3. Alia quoque Exceptio est in Inuestitura feudorum Ecclesiasticorum, quae et coram extraneis fieri, adeoque et per eos probari potest. 1. F. 26. in fin. pr. Conf. 2. F. 32. pr. Denique Consuetudine Mediolanensium specialiter receptum fuerat, quoslibet adhibere testes, non tamen foeminas: d. t. 32. in fin. nisi illustres. uid. Rosenth. d. c. 12. Concl. 18. lit. f. Vultej. lib. 2. c. 3. n. 15. Anron. d. Disp. 15. tb. 5. D. Quod proinde perperam ad alia extendit. Christin. d. Dec. 85. n. 22. Plures Exceptiones affert Rosenth. de Concl. 17. per tot. quae tamen ex dictis inferri fere possunt. Sed haec de Inuestitura: aliae enim quaestiones u. gr. de agnatione Vafalli etc. etiam per alios testes, imo et foeminas probari possunt. Rosenthal. d. Concl. 18. n. 4.

§. IV.

Hodie uero totum hoc ius fere immutatum est; nam in plerisque locis ipsa quoque Parium Curia, das Mannen; Gerichte/ ab usu recessit, eiusque loco sunt Dicasteria Statuum. Vnde sequitur, nec ad solennia inuestiturae, nec ad probationem per testes amplius requiri Pares Curiae; etiam ex ratione iuris Communis, cum Pares amplius non sint regulariter: arg. 1. F. 26. princ. Dn. Struv. Synt. I. F. c. 16. tb. 14. unde, licet obtineant adhuc alicubi Pares Curiae, uix tamen in istis quoque locis alius eorum usus est, quam in iudicando,

cando, ut iudicium exercean inter Dominum et Vasallum: ut ex pluribus Actis ad Fac. Iurid. Academiae Archi-Palatinae transmissis Magnif. Dn. Praeses observauit. In quibusdam tamen Curiis requiri adhuc praesentiam 4. Conuassallorum, ait Christin. *d. Dec. 85. n. 20.* Et interesse actui solere quosdam ex Conuassallis docet. Perill. Dn. de Rhetz. *ad 1. F. 26. §. 2. n. 5.*

§. V.

Numerus uero testium praeterea auctus est in probanda feloniam, ubi 5. testes omni exceptione maiores et itidem Pares Curiae requiruntur. 2. *F. 57.* Christin. *d. Dec. 85. n. 51.* idque in qualibet feloniam, etiam non in Dominum sed alium commissa, uti contra Schraderum merito probant Rosenth. *d. cap. 12. Concl. 19. n. 18.* Finckelth. *Disp. Feud. u. tb. 12.* conf. Vultej. *de Feud. lib. 1. cap. u. n. 57.* nec in solo petitorio, sed et possessorio; quod et ipsum contra eundem Schrader. recte defendunt Rosenth. *de Concl. 19. n. 23.* et Finckelth. *d. Disput. u. tbes. 13.*

§. VI.

Vsu hodierno ad probandam feloniam Pares Curiae non amplius requiruntur, et duos hodie testes sufficere tradunt. Borcholt. *de Feud. cap. 10. in fin.* Groenvv. *de legib. abr. ad 2. F. 57.* Dn. Struv. *d. cap. 16. tb. 15.* Etsi alii insistant textui *d. tit. 57.* Vultej. *d. n. 54.* prout et iudicatum fuit in Delphinatu Gvid. Pap. *Dec. 180.* licet Molin. dissentiat. uid. Rosenth. *d. Concl. 19. n. 5.*

§. VII.

Id tamen seruatur, ut saltem probationes sint liquidissimae, uti in Criminalibus, adeoque nec iusiur. suppletorium admittitur. Rosenth. *d. Concl. 19. n. 76. et seqq.* nec testes nisi omni exceptione maiores, iuxta §. praeced. nec praesumptiones, etsi urgentes. nisi uolentiae, ut uocantur *c. 12. X. de Praesumpt.* nec aliae probationes, quae in causis quidem ciuilibus ad-

D

mitti-

mitti quandoque solent, non uero sufficiunt in criminalibus; quarum species aliquot recenset. Ros. *d. l. n. 78. et seqq.*

§. VIII.

Caeterum stante quoque autoritate *d. text. in 2. F. 57.* non tamen excluduntur aliae probationes legitimae et plenae: quia §. testes tunc requiruntur, cum probatio fit per testes; non cum alia uia res constat: non enim numerus ad substantiam requiritur, sed ad probationem, qua opus non est, si et aliunde res manifesta sit, uti si constet confessione uasalli, etiam extraiudiciali, ex instrumento publico, euidencia rei etc. de quibus Rosenth. *d. Concl. 19. n. 44. et seqq.* Sicut et olim ex lege Longobardorum de infidelitate pugna fiebat. *2. F. 39. §. Non est consuetudo etc.* An autem deferre actor iuramentum reo possit; de quo Rosenth. *d. l. n. 75.* deinceps apparebit. Caeterum ad conuincendum incendiarium 7. testes requiruntur *in lib. 5. F. Const. 10. §. item si incendiarius.* sed et illud hodie sublatum est, et duo testes sufficiunt. Groenvv. *de Legibus abr. ad d. §.*

§. IX.

Supersunt denique probationes feudales per iusiur. ubi hoc imprimis singulare est, quod ius feudale, uti testium numerum in quibusdam auxit, ita et hic requisierit quandoque coniuratores, qui simul cum altero iurent, cum iure Communi sufficiat iusiur. unius u. g. partis. Mos iste ex iure Canonico fluxisse uidetur, quo *c. 24. caus. 17. qu. 4.* constitutum, ut, qui Presbyterum occidisse dicitur, iuret cum aliis 12. (ridicule legitur uulgo 72.) et, si seruus sit, ut se purget super 12. uomeres feruentes: et ille mos superstitiosus deinde damnatus, et pro tentatione Dei habitus *in c. fin. X. de Purg. uulg.* probatur autoritate Concilii Moguntinensis *in d. c. 24.*

§. X.

Causa uidetur, ut Clerici non tantum sancte et innocenter uiuerent, sed et omnis suspicio flagitii ab iis eo longius abesset,

abesset, ac penitus deleteretur : quo et tutius in Ecclesia ministrare possint, et omne scandalum in populo cauere. Hinc, si Clerici diffamati essent, debebant non tantum suo iureiur. se purgare, sed et alios coniuratores adhibere, qui dicti sunt compurgatores, sacramentales etc. *c. 5. et pass. X. de Purg. Can.* et debent esse integri uitae, scelerisque puri, *c. 9. et seqq. eod.* et reum familiariter nouisse, *c. 7. eod. Vallens. d. tit. num. 4.*

§. XI.

Iurant autem de sua opinione tantum, sc. quod credant reum uere iurasse. *d. c. fin. in fin. adeoque reus iusiur. ueritatis praestat, reliqui credulitatis. Vallens. d. n. 4.* Adhibentur arbitrio iudicis, qui et numerum definit, ut iurent *s. 6. 12. etc. c. 8. eod.* Idque non in omni crimine, sed grauiore, et reo indicibus sufficientibus grauato *c. 15. eod.* Atque haec purgatio dicta fuit Canonica, olim inter Clericos tantum constituta, *uid. §. 10.* deinde autem etiam in foro seculari quibusdam locis recepta. *Iul. Clar. §. fin. qu. 63.* uti in Flandria aliisque Damhoud. *Prax. rer. crim. cap. 44. n. 6. Vallens. d. tit. n. 6.* imo in ipsa Cam. Imperiali: *Ordin. Cam. p. 2. tit. 10. Gail. de P. P. c. 7. n. 12. et 14.* imprimis autem in usibus Feudorum, ubi pars iurat u. gr. cum 12. Sacramentalibus et ita lis dirimitur. *1. F. 10. etc.* Qui ut sumantur uel e conuafallis, uel e parentibus, id est, cognatis, uel ex extraneis, solis uel mixtis, item quando iurent de suo facto, uel de sua conscientia, siue de ueritate uel credulitate, *Vid. 2. F. 33. uers. Sacramentum.* et quae erudite tractat *Rosenth. de Feud. d. c. 12. Concl. 14. n. 72. et multis seqq.* Vnde nec modus ille indistincte obtinet, sed tantum cum lis est inter Dominum et Vasallos, uel inter ipsos Vasallos de feudo; non quando cum extraneo, uel de re non feudali: *Rosenth. d. concl. 14. n. 70.* uel, ut uerbo et certius definiamus,

quoties obtinet forum feudale, uid. Magnif. Dn. Praef. *Hypomn. feud. tit. ult. tb. 8. 9.*

§. XII.

Hoc uero iuramentum purgationis est, quod proinde ut in omnibus causis regulariter, ita et hic, et in feloniam quoque obtinet: etsi compurgatorum et sacramentalium usus in plerisque iudiciis feudalibus deserit. Dn. Struv. *d. c. 16. tb. 16. n. 4.* De iureiur. suppletorio quoad probationem feloniam, iam dictum est *sup. §. 7.* In caeteris enim causis, nisi actus solennia alia requirant, adhibetur illud ad probationem ut iure communi. Vid. Rosenth. *d. cap. 12. concl. 14. n. 97. et seqq.* De iudiciali itaque uidendum, an deferri possit et vim probationis habeat? Nec dubitandum, in caeteris causis feudalibus illud, ut in civilibus, deferri posse, eandemque eius deferendi et referendi potestatem esse. *2. F. 33. pr. uers. Et cum datur.* At de feloniam dubium haut leue, an reus deferre illud Actori possit? Equidem stultitiae uideretur, si reus deferret iusiur. actori, cum tutus sit et absoluitur, si actor plene, imo per 5. testes feloniam probare nequeat, ut dictum. Verum, cum reus tamen iudiciis grauatius iure feudali purgare se deberet cum sacramentalibus, probabilius est, si forte ipsi difficile sit inuenire compurgatores, aut malit actori iuramentum deferre quam iurare, id fieri posse: quod et docet Rosenth. *d. concl. 19. n. 75.* nam cum transigere Vasallus de feloniam possit, etiam nihil obstat, quo minus iusiur. deferre queat, quod transactionis species est: *l. 2. ff. de iureiur.* et in eo itaque secus hic est, ac in criminalibus. At si actor reo id deferre uelit, cum is grauatius alias non sit, adeoque se purgare non reneatur, (alias enim incidit in iusiur. purgationis) non sufficere id putamus ad probationem feloniam, etsi reus delatum sibi iusiur. praestare nolit, cum non sit ea probatio certissima.

CAPVT

CAPVT V.
DE
RELIQVO PROBATIONVM
FEVDALIVM IVRE.

S V M M A R I A.

§. I.

De Iure Feudali quoque a^{ct}ori incumbit Probatio. 2. Hoc fallit in probandae exceptione, et quando a^{ct}or relevantem pro se habet praesumptionem. 3. Res in dubio praesumitur allodialis. 4. 5. 6. Haec reg. in Usibus Feudorum ambigua redditur. 7. Iure hodierno secundum eam pronuntiatur. 8. Except. Nisi quis bona tanquam feudalia possidet. 9. 10. Proponitur quaestio, num bona feudo admixta habeantur pro feudalibus? 11. Affirmatur. 12. Quid accessionum s. pertinentiarum nomine veniat? 13. Feudum in dubio praesumitur proprium, et quae inde sequantur? 14. In uno mutatum et improprium factum, in reliquis adhuc praesumitur rectum. 15. et seqq. Ventilatur quaest. an feudum in dubio novum, an vetus intelligendum, et cui qualitatis illius iniungenda probatio. 20. etc. Cui electio iurisur. danda sit? 23. Tractatur de variis modis probandi remissive.

§. I.

Probatio iure Feudali, perinde ac communi, incumbit a^{ct}ori; id enim naturale est. l. 10. C. de Non num. pec. l. 23. C. de Probat. sed et eadem utrobique regula est, a^{ct}ore non probante, reum absolui. 2. F. 33. uers. Vbi nihil. Verum saepissime tamen reus non simpliciter absolvitur, sed praestito prius iureiur. quo se purget et fere una cum Sacramentalibus. d. tit. 33. uid. cap. supr. th. 9.

§. II.

Haec regula fallit non tantum in exceptionibus Rei, quas ipse, quippe in iis actor, probat, *l. 9. l. 19. princ. ff. de Probat. l. 1. C. eod.* sed et, quoties praesumptio onus probandi in aduersarium deuoluit. *arg. l. fin. princ. ff. Quod metus caus.* Quod tamen non fit promiscue, imo ne regulariter quidem, cum regula sit, quod actore non probante, (non autem probauit, qui saltem praesumptionem aliquam attulit) reus absolui, non uero onus probandi suscipere debeat. *tb. 1. supr.* uerum cum uel ipsa intentio actoris fundatur in aliqua praesumptione iuris; *ut in l. 15. l. 16. C. de Probat. l. 3. l. 5. §. 1. l. 8. l. 9. l. 25. princ. ff. eod.* uel praesumptiones uim et effectum probationis habent. *ut in l. 2. §. 1. ff. de Pact.*

§. III.

Atque hinc ut appareat, quid iure feudali probandum sit, sciri maxime debet, quid eo iure praesumatur. Inprimis autem Iuris Feudalis Regula est; quod bona praesumantur potius esse allodialia et Emphyteutica, quam feudalia. *arg. l. 9. C. de Seru. et aqu. 2. F. 41. ibi: Domino in Probatione deficiente. 2. F. 51. §. Si contentio. ibi: Si pares curtis etc. 2. F. 26. §. Inter filiam. et §. defuncto.* Atque hinc, si de eo contendant, successor allodii et agnatus, ille interim in possessionem mittitur. *d. tit. 26. §. Inter filiam. et §. Defuncto. Dn. Struy. d. cap. 16. tb. II. num. 1.*

§. IV.

Verum huius Regulae limites ambigui sunt, et in contrarium prope regula traditur *in 2. F. 41. princ.* Ius tale est: etsi res in dubio allodialis esse statuatur, adeoque agnato, feudalem asserenti, incumbat probatio, *d. §. Si contentio. in fin.* si tamen agnatus deficiat in probatione, non ideo statim condemnatur ille, uel alter absoluitur; sed lis iureiur. dirimitur; hic ergo quaeritur, cui electio iurisiur. potius deferri debeat?

Atque

Arque ea in re iure feudali alterutri parti varie indulgetur, si enim heres allodii, u. g. filia cum Domino contendat, ipsi filiae datur conditio iurandi. *d. §. Defuncto. et 2. F. 41. vers. sed. si inter.* Si uero cum agnato, huic, non filiae, eadem conditio defertur. *d. §. Inter filiam. 2. F. 41. princ.* Nisi filia hoc casu probationem suscipere, et aperte rem probare, atque hoc modo excludere agnatum ab optione iurandi uelit: quae est sententia *d. i. 41.*

§. V.

Itaque, etsi heres allodii immunis sit ab onere probandi, et in dubio in possessionem mittatur, non ramen probatione deficiente eius semper arbitrio ius iur. relinquitur, sed tantum quando cum Domino, non quando cum agnato committitur. *ibef. 4.* Cuius rei ratio, cur minus Domino quam reliquis faueatur, in obscuro est. Vid. *Bitsch. de Feud. in d. §. Defuncto.* Vera autem haec esse uidetur; quod obrinente Domino desinit esse feudum; agnato, manet: hoc autem fauorabilius habetur ut feudum maneat, propter usum seruitiorum.

§. VI.

Alia ratione decisa res est, si lis sit inter emtorem feudi, afferentem esse allodium, et Dominum (ut in *2. F. 41. in fin.*) uel Vasallum (ut in *2. F. 51. §. Si contentio. vers. Et similiter.* id negantes, et feudum esse contententes: Domino enim et Vasallo probatio incumbit, esse feudum; nec tamen, si in probatione deficiant, ipsorum, sed emtoris iuriur. statur. *d. tit. 41. et d. tit. 51.* Cur uero adeo fauetur emtori, ut nec probare teneatur, et ipsius sit optio iurandi? Videtur id ideo, quia et allodium ipse asserit, et quasi pro allodio precium bona fide soluit.

§. VII.

Verum hae ambages sublatae sunt moribus nostris, et eo, qui feudum asserit; id non probante, sententia secundum allo-

allodium fertur. Atque ita dispositum est *Decif. Elect. Sax. 37. ibi*: So ist unser Will und Meinung / daß bey einfallenden Streit und Zweifel / zwischen den Agnaten und Töchtern das Stück Gut / wofern der Agnat nicht in continenti, daß es Lehn sey / bescheinigen kan / nicht allein vor Erbe gehalten / sondern auch denen Töchtern vor denen Agnaten die Possess desselben eingeräumet / sie darinne so lange bis der Lehnsfolger ein anders / wie recht / gnugsam ordentlicher weise außgeföhret / geruhiglich geschühzet und gelassen werden solle &c. Hinc quoque possessio, licet forte filiabus uel similibus heredibus adempra fuerit, ipsis est restituenda, uti ad Consultationem der Fürstl. Magdeb. Regierung zu Halle A. 1651. respondiße Scabinos Lipsienses, et confirmasse ICros Ienenses, tradit Excell. Dn. Struv. *d. c. 16. th. II. n. 2.*

§. VIII.

Caeterum excipitur ab hac Regula, et allodium asserenti probatio incumbit, si quis bona quaedam ut feudalia possidet, iisque ut Vasallus usus est. *per text. in 2. F. 2. §. 1. et 2. F. 81. arg. l. 8. §. 3. ff. Si seru. uind. H. Pistor. p. 2. qv. 39. n. 38. Carpzov. lib. 1. Resp. 82. n. 6.* Neque pugnant duo illi textus feudales, quod *in d. tit. 2. §. 1. lis sine probatione testium per iusur. dirimatur; in d. tit. 81. id negetur, et probatio requiratur, nec iusur. sufficiat.* Nam in priore de probatione Vasalli agitur, qua opus non habet, si possidet, sed iureiur. se purgabit: in altero uero, de probatione Domini, quae omnino necessaria, nec eius iusur. sufficit; at, si deficiat eius probatio, Vasallus iurabit.

§. IX.

Alia quoque Exceptio est, sed ualde agitata; quaeritur enim, si bona quaedam feudo coniuncta sint atque cohaereant, num illa pro feudalibus habenda sint? Affirmant Berlich. *p. 2. Dec. 178. n. 6. et ab eo alleg. Colerus, Schraderus, Cravetta etc.*

et

et secundum id pronunciatum est in Iudicio Appellationum Elect. Sax. A. 1623. et in Curia Lipsiensi Prouinciali Anno 1625. Berlich. *d. Dec. 178. n. 12.* Carpz. *d. Resp. 82. n. 9. et 10.* et denuo in eadem Curia An. 1626. in leutatione. Berlich. *d. l. n. 15.* et Carpz. *d. l. n. 10.* sic denique etiam Responsum est a ICTis Lipsiensibus An. 1634. Berlich. *d. l. n. 15.* Carpz. *d. l. n. 11.* Dn. Struv. *d. cap. 16. tb. 1. num. 4.*

§. X.

At his omnibus non obstantibus contrarium in eadem causa amplecti mutata priore sententia non dubitauit idem Iudicium Appellat. An. 1624. ut testantur Carpz. *d. Resp. 82. n. 17.* Dn. Struv. *d. tb. 11. n. 6.* qui et hanc posteriorem sententiam sequuntur. *dd. 11.*

§. XI.

Nos uero priorem sententiam praeferimus, in dubio res feudo coniunctas censerì potius feudales. Quae sequitur *ex tbes. 8. sup.* quia, qui rem feudo suo coniunctam et cohaerentem possidet, eam ut feudi sui accessionem possidet, adeoque ut feudalem; cum accessiones feudi feudales sint; et rei partes atque accessiones eiusdem iuris qualitatique habeantur, ac res, cui cedunt, uel cuius sunt partes. Quin uel sunt res feudo in perpetuum affixae, et illae uerae sunt feudi accessiones, et indubie feudales: uel sunt bona immobilia, intra fines feudi sita, et ea quoque intelliguntur esse feudi, uti quae intra fines territorii sita sunt, territorii: Gail. *2. Obs. 69. n. 6.* uel extra fines quidem ac uicina, aut mobilia non affixa, sed pro accessionibus feudi habita atque possessa, (alioquin enim ex sola uicinia et mobilium illatione concedimus non posse inferri, esse feudalia,) et tum possidentur ut feudalia, adeoque onus probandi possessori non incumbit. *per tb. 8. sup. conf. 2. E. 41. in fin. ibi: ut si magna pars quae uasallus ibi tenebat feudum sit.* Hoc tuentur Dd. allegati *supr. tkes. 9.* et praeterea

terea Gail. d. Obs. 69. n. 6. et seqq. Rosenth. d. cap. 12. concl. 15. (ubi nimis tamen fluctuat) etc. quod et probatum et confirmatum est in der Churf. Brandenb. im Herzogthumb Magdeburg publicirten Policy-Ordn. Cap. 8. von denen Mann-Lehn Gütern §. 35. Da über ein Stück Guts / welches mit dem Ritter-Lehn notorisch vermenget / und in andern Lehnsfällen als ein Corpus bey dem Lehn gelassen / und denen Lehnsfolgern zugleich abgefolget wäre / Streit vorfiel / ob es Lehen oder Erbe? soll denen Lebensfolgern die *Possess* desselben so lange *adiudicirt* werden / bis die Land-Erben *qualitatem allodiam* erwiesen.

§. XII.

Alia uero quaestio est, quid accessionum, seu, ut uocant, pertinentiarum nomine ueniat, et quomodo illae probentur? Quam rem itidem non satis definit Rosenth. d. c. 12. concl. 15. n. 26. et seqq. ubi late de eo tractat. Dependet uero decisio a natura pertinentiarum; uel enim res immobiliter feudo affixa est seu cohaeret, et in dubio pro eius accessione habenda est; uel non ita cohaeret, et non erit feudi accessio, etsi in eo posita sit, nisi probetur, ad eius perpetuum usum paratam positamque ibi esse. l. 13. §. 7. ff. de Act. Emf. uid. Magnif. Dn. Praef. Iur. Publ. prud. c. 27. §. 18. et seqq.

§. XIII.

Porro ad qualitatem feudi probandam pertinet in primis regula; quod in dubio feudum proprium seu rectum censerit debeat, non improprium. l. F. 1. §. 3. et l. F. 4. §. 3. 4. et 2. F. 2. §. f. Hoc uix quisquam negauerit, cum perpetuo iure praesumatur propria cuiusque rei natura, donec ea mutata probetur: idque late patet: Hinc enim sequitur, in dubio intelligi feudum ex pacto et prouidentia, non hereditarium. H. Piff. lib. 2. qn. 1. n. 75. et seqq. Et perperam plane arbitratur Gothofr.

Anton.

Anton. *Disp. Feud. 10. tb. 7. lit. D.* id uerum esse de consuetudine Germaniae, aliud uero ex iure dicendum esse. Quin res inuerti potius deberet, et dici, usu germaniae et sententia Pileanorum falsum id esse, iure communi uerum. uid. omnino Magnif. Dn. Praef. *Hypomn. Feud. tit. 2. tb. 25. et seqq.* Sic in dubio feudum non praesumitur esse foemineum, 1. F. 4. §. 3. nec francum, arg. 2. F. 23. in fin. et 2. F. 76. nec censiticum, arg. 1. F. 27. princ. nec temporarium et morte definens; adeoque nec Guardiae, Gastaldiae, aut officio cohaerens. 1. F. 4. §. 3. et 2. F. 81. et sic de caeteris.

§. XIV.

Et adeo inhaerendum est huic regulae, ut, licet in una re alterata sit feudi natura, et improprium id factum, in caeteris tamen adhuc praesumatur esse proprium. 2. F. 48. Vult. *de Feud. lib. 1. c. 8. n. 53.* Hinc etsi hereditarium sit, in dubio tamen intelligitur mixtum; si foeminae succedant, non tamen extantibus masculis: si sit temporarium, non tamen francum: si francum uel ecclesiasticum, adhuc exclusae in dubio intelliguntur foeminae etc. quae hinc satis plana sunt.

§. XV.

At alia succedit de probatione feudali quaestio longe uexatissima; An feudum in dubio nouum, an antiquum intelligi debeat? Quae eo diligentius tractanda est, quo maioris momenti effectus inde sequuntur. Dd. uarie. Alii antiquum, alii nouum, alii neutrum praesumunt; alii, dependere id ex probationibus factis, quibus deficientibus, ab utraque parte iurei. delato litem dirimendam esse. uid. Fachin. *lib. 7. qu. 59.* Gothof. *Ant. d. Disp. 15. tb. 7. lit. B.* Sed duae posteriores non definiunt, uel non satis definiunt quod dubium est, et in quo scrupulus haeret, scil. cui probatio competat si agnatus antiquum, Dominus nouum esse contendat.

E 2

§. XVI.

§. XVI.

Id itaque, et primum quid iuri Feudali conveniens sic expediemus. Verum autem inprimis uideretur, nec uerus, nec nouum praefumi: Vtrumque enim aequè incertum, et facti est: Dominus, qui nouum dicit, se primum suo beneficio et ex sua liberalitate id Vafallo concessisse ait; quod plane facti et probandum est; cum actus liberalitatis et beneficii concessio non praefumatur. Agnatus contra, qui antiquum asserit, plures inuestituras factas et maiores ipsius inuestitos fuisse, adeoque saepius aliquid factum fuisse contendit, quae facta omnino probanda: quin, non potest praefumi praecessisse inuestituras et fuisse feudum, cum praefumatur alodium fuisse, non feudum, *per th. 3. supr.* quae fuit quoque ratio Iason, ap. Cravett. *de antiq. temp. P. 5. n. 4.*

§. XVII.

Cessante itaque praesumptione, quae onus probandi ab actore transferebat, redit et obtinet ius ordinarium, quod probatio incumbat actori, nisi alia praesumptio iuris onus illud in alterum transferat. Id porro probatur *ex 2. F. 11. in fin.* ubi cum dixisset Feudista, *onus probandi incumbere ei, qui nouum dicit*; deinde subiungit, *aliter pronunciatum esse*, sc. probationem non esse eius, qui nouum dicit, sed nec eius, qui antiquum asserit, sed iudici dispiciendum, cui onus hoc incumbat. Item *ex 2. F. 15. uers. item placet.* ubi exerte dicitur: *non semper probandum esse antiquum*, sed et, esse nouum. Denique clarissime *in 2. F. 33. uers. Sacramentum* dicitur; *Sacramentum quandoque possidenti, quandoque petenti, quandoque neutri dari, prout aliquid pro alterutro sic, quod iudicem moueat*; quod secus esset, si uel antiquum uel nouum esse praesumeretur, adeoque is, qui, quod praesumitur, assereret, semper liberaretur ab onere probandi. Sed longe clarissimum id fiet ex sequenti euolutione textuum.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ex iis enim apparebit, in hac lite, antiquum sit feudum an nouum, probationem, iuxta regulam §. I. traditam, incumbere actori, non possessori, uel ei, qui instar possessoris uideri possit. Pro possessore uero quis hic habetur 4. modis: 1. Cum totum feudum possidet: 2 Cum feudi eius, quod controuersum est, partem possidet; uel, si duo fratres diuisum feudum habent, et uno fratrum mortuo, de eius parte lis inter Dominum et superstitem fratrem oritur, sufficit enim, quod frater alteram partem possidet. 1. F. 4. §. 7. *ibi: Si fuerit in possessione medietatis uel alicuius partis.* et 1. F. 12. *ibi: Partem meam siue possideo etc. licet non possideam portionem fratris mei.* 3. Cum frater partem illam suam non quidem amplius habet, habuit tamen et alienauit, quia tunc is possidet, qui causam ab ipso fratre habet. 1. F. 12. *ibi: siue alienauit.* 4. Cum ne habuit quidem, sed habiturus esset, et eius loco partem allodii accepit, quia iure surrogationis feudum habere uidetur. 1. F. 4. *ibi: uel cambium proprietatis nomine illius feudi habuerit.*

§. XIX.

Igitur si I. his modis agnatus possidet uel possedit, non ille, sed Dominus probat, feudum nouum esse: Si II. e contrario Dominus ita rem, uel eius partem, uel aliud pro ea possidet aut possedit; non ille, sed agnatus probabit, antiquum esse: quod primum in genere traditur *in 2. F. 15. uers. item et 2. F. 11. in fin.* (ubi modo domino, modo agnato probatio iniungitur) sed restringitur *in 1. F. 4. §. 2.* ubi uasallus obtinet, si uel praedictis modis possidet, uel probat; adeoque uasallo, non nisi praedictis modis non possidet, incumbit probatio; alias ergo Domino: idemque clare statuitur 1. F. 12. *in f. ibi: nisi Vasallus probet paternum fuisse uel possideat, Dominus obtinebit.* III. Si neuter aliquo memoratorum 4. mo-

dorum possideat, uterque instar actoris erit, et utriusque audietur probatio, sed interim agnatus in possessionem mittetur; 2. F. 26. princ. adeoque haecenus iterum causa agnati fauorabilior est contra Dominum, ut, si neuter possideat, uterque quidem probet, d. pr. ibi: utroque in probatione deficiente. 2. F. 21. in fin. ibi: Vtroque in probatione deficiente. sed agnatus interim mittatur in possessionem; eadem ratione, quam dedimus *supr. ib. §.* quia uasallo possidente continuatur ratio feudi; Domino, cessat interim ac desinit.

§. XX.

Haec haecenus itaque de probatione plana sunt; superest uero, ut uideamus, deficiente probatione cuius sit optio iurandi, cum plerumque, ut supra dictum, reus non absoluitur simpliciter, sed iurandum fit. *sup. ib. 1.* Verum et illud ex traditis sequitur: Nam eo, cuius est probatio, in ea deficiente, ius iur. defertur parti ipsius aduersae, quae altero non probante absoluenda fuerat: uti traditur *in 2. F. 33. uers. Sacramentum. ibi: Vbi nihil est, quod faciat pro aliquo eorum, (domino uel agnato) praeter solam possessionem; tunc aut possidenti, (cuius non erat probatio, sed qui absoluendus erat) dabitur Sacramentum etc. It. in 1. F. 10.* ubi, si uasallus possidet, uasalli; si Dominus, Domini iuriiur. statur; possessoris enim probatio non est, sed aduersarii. Atque hinc *in 2. F. 15. uers. item placet.* ubi Domini erat probatio, agnatus iurat; ut et *in 1. F. 12. in pr.* uasallo, si instar possessoris, conditio iurandi defertur. Contra *in eod. tit. 12. uers. Si uero.* domino ea defertur propter supra dictam rationem; id est, si ipse ita sit instar possessoris, ut in priore membro uasallus. Excipitur Casus singularis *in 1. F. 10.* ubi Domino indistincte ius iur. conceditur.

§. XXI.

Si uero neuter possidet, adeoque utriusque probatio est, utroque in ea deficiente, ius iur. neque uasallo neque Domino neces-

necessario deferretur. 1. F. 11. *ibi: nec mihi nec Domino dabitur iusiur.* sed iudex causa cognita (1) statuit cuius causa potior ac iustior uideatur, et illi iusiur. deferret. 2. F. 33. §. *Sacramentum. ibi. cum alicui horum datur iusiur. ita demum datur, si aliquid pro eo sit, quod iudicem moueat.* Fit uero et possidentis ibi mentio, quia et possessio inter ea est, quae iudicem mouent, ut innox. *ibid.* sequitur *in uers. ubi nihil.* Idem breuius dicitur *in 2. F. 11. in fin.* eoque pertinent uerba *in 1. F. 12. nisi propter supradictam rationem* (scil. si uel possessio uel iustior causa iudicem moueant) et *in 2. F. 15. uers. ite. m. ibi: causa cognita.* (2.) Si neutra causa potior uel aequior, sed utrinque par uisa fuerit, potius deferretur agnato quam Domino, ob causam §. 20. *supr.* allatam: idque probatur *ex 2. F. 26. princ.* sed et eodem referri possunt d. uerba: *Causa cognita, in 2. F. 15.* et de eodem casu, quo nec Vasallus iustiorē causam habet, sed illa utrinque par est, loquitur *textus, 1. F. 4. §. 2. in uerbis: Si uero probare non potuerit dicto modo,* tum quia generalis uideret, adeoque ex reliquis restringendus; tum, quia casus ibi proponitur, quo omnes rationes iustioris causae primum uasallo tribuuntur, deinde ab eo remouentur, adeoque iis remotis in nullo sunt, sed utriusque par causa. (3.) Si actor, cuius probatio erat, ita in eo defecerit, ut nec probabilis eius causa uideatur, nec ulla contra reum possidentem praesumptio, hic absque iureiur. absoluitur. 2. F. 33. *uers. ubi uero.* Conf. Magnif. Du. Praef. *Hypomn. Iur. Feud. tit. 2. eb. 5.*

§. XXII.

Ita explanata omni difficultate, usu fori id quidem mutatum est, ne teneatur reus, actore in probatione deficiente, se iureiur. purgare, nisi tales contra eum pugnent praesumptiones, quae alias in causis quoque ciuilibus iuramento purgationis locum faciunt; uide. *Const. Elect. Sax. 22. part. 1. ibique Carpzov. Def. 13. et seqq.* Et in primis illud pro obtinenda ignorantia

rantia iniungi potest, secundum *Ordin. Proc. Ducat. Magdeb. c. 39.* Vom Ende in *Supplementum. purgationis etc. §. 2. ibi:* Es soll aber zu derer Cansler und Ráthe rechtlichen Ermáßigung stehen/ ob dem Kláger oder dem Beklagten/ wann sie sich gleich darzu nicht anerböten/ solcher End (sc. in *Supplementum*, de quo in *praec. §. 1*) oder auch pro obtinenda ignorantia, das iuramentum purgationis, litis decidendae causa auffzuerlegen sey. Caeterum quod dictum est *ib. 16.* id defendunt quoque Doctiss. I. Cri, Alciat. *Tr. de Praesumpt. reg. 3. Praesumpt. 28.* (ubi quidem ait, praesumi antiquum, sed deinde ita eam sententiam coërcet, ut cum hoc fundamento coincidat) Cravett. *de Antiq. temp. part. 5. n. 6.* qui et alios allegat. Etsi uero Ioh. Thom. de Marin. *de diff. feud. tit. 1. n. 32.* pro antiquo decimum in Conf. Neapol. apud Dn. Struv. *d. cap. 16. tb. 12. n. 2.* dicat, tamen contrarium docet Matth. de Afflict. *Ad Conf. Neapol. p. 2. rubr. 24. n. 5.* ut et ibi res indecisa, et iuri communi relinquenda sit.

§. XXIII.

Plurima alia tractari hanc in rem possent, sed, cum illa potius ad Ius Ciuile pertineant, et ex eo solo fere decidenda sint, eorum tractatus fines instituti nostri nimium excederet. Quo etiam pertinet tractatus de modis probandi per euidentiam rei, usum, morem regionis, famam rationes publicas, catastra, aliisque, de quibus Rosenth. *d. cap. 12. Concl. 14. et 15.* Gothofr. Anton. *d. Disp. 15. thes. 7. lit. G. et seqq.* agunt, at nihil speciatim iure feudali proditum muratumque est.

T A N T V M.







ULB Halle
002 725 975

3




TA → OL

VST7







14

F. 2. num. 33.
1696, 46 5/

L. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

**PROBATIONE
FEVDALI**

P. 323.

Som Beweis in Sehn-Sachen

QVAM
PRAESIDE

HENRICO COCCEJO

ICTO REGIS BORVSSIAE AC ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSIL. INT. FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO, ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AC IMMVNITATES RITE OBTINENDI

PVBlicae VEnditioni sVbMisit

AVGVSTVS BERNHARD BRVNNER

HALL. MAGDEB.

FRANCOFVRTI AD VIADRVm, AD D. XXVII. APRIL. M DC XCVI.

WITTEBERGAE, RECUSA M DCC XXXIX.

TYPIS IOANNIS GVILIELMI BOSSE

KÖNIGLICH UNIVERS.